



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 6. Vtrum humana natura fuerit vnita Verbo accidentaliter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

tas & humanitas, sunt vnus Christus. Secundò, quia inde sequuntur propositiones hereticæ, nempe, diuinitatem, esse diuinitatem & humanitatem simul sumpta, si ita colligas. Christus est diuinitas & humanitas; atqui Christus est diuinitas: ergo diuinitas est diuinitas & humanitas.

Refelluntur.

Sed facile responderi potest, Concilium Constantiense damnare illam propositionem in sensu auctoris, qui erat sensus diuinus, vt docet Thomas Waldensis lib. i. doctrinalis fidei antiquæ cap. 42. Argumentum verò est Sophisticum: patet in simili: Christus est mortuus, Christus est diuinitas: ergo diuinitas est mortua. Item Christus est compositus ex diuinitate & humanitate, Christus est diuinitas: ergo diuinitas est composita ex diuinitate & humanitate. Variatur enim appellatio.

Explicatur identice, nõ formaliter

Respondeo ergo Primò, hanc propositionem esse hereticam: *Christus est humanitas*, quia confundit naturas; nec in sensu formali nec identico potest admitti. Secundò, hæc est vera, *Christus est diuinitas*, quia est identica, vt patet ex tractatu de Trinitate. Tertiò *Christus, est diuinitas & humanitas coniunctim*, est vera identice; quatenus Christus accipitur pro supposito, non simplici, sed vt includit naturam humanam; non tamen omnino propriè seu formaliter. Sicut nec ista: *Verbum, est diuinitas & humanitas simul*: hæc est enim multò minùs propria.

Quare ad Argumentum Respondeo, compositum esse sua componentia simul sumpta, non in sensu omnino proprio & formali, sed identico. Compositum enim nihil includit, nisi ipsa componentia coniuncta: & ipsa componentia coniuncta, nihil includunt nisi quòd includitur in composito.

ARTICVLVS V.

Virum in Christo fuerit facta aliqua vnio anima & corporis?

54

Respondetur affirmatiuè; scilicet Christum assumpsisse humanam naturam, compositam ex anima & corpore coniunctis. Est fide tenendum, & expressè definitur in Concil. Ephesino primo, can. 13. *Non enim dicimus*, inquit, quòd Dei natura, conuersa vel immutata, facta sit caro; nec quòd in totum hominè, qui est ex anima & corpore, transformata sit; sed magis quòd carnem animatam anima rationali sibi copularit; Verbumque substantialiter, ineffabiliter, & incomprehensibiliter factum sit homo. Et in Synodo 4. act. 5. vbi definitur Christus esse perfectus in humanitate & diuinitate, verus Deus & homo, ex animâ rationali & corpore. Et in Synodo Quintâ, actione quartâ cap. 4. *Qui non consentitur, sicut sancti Patres docuerunt, vniõnem Dei Verbi ad carnem animatam animâ rationali & intellectuâli, secundum compositionem, id est, secundum substantiam factam, & propterea vnâ eius substantiam esse, anathema sint.* Et in Synodo Sexta, Actione 11. in Epist. Sophronij: *Simul, inquit, caro, simul Dei Verbi caro, animata, rationalis.* Quæ Epistola approbatur à toto Concilio Actione 13.

55

Vnde errat Magister cum in 37. dist. 6. art. 6.

refert contrariam sententiã vt probabilem, tamquam probabile sit Christum assumpsisse carnem & animam, sed nõ vnita inter se immediatè, sicut in nobis, sed tantum vnita cum Verbo. Neque rectè quidam illū excusat, quòd eius tempore contrarium non fuerit adhuc manifestè definitum, & hoc damnatum; sed primùm ab Alexandro III. Capitulo *Cum Christus*, titulo de hereticis. Constat enim in Concilijs citatis expressè esse damnatum: imò semper fuit hereticum. Nam inde clarè sequitur Christum non esse, verum hominem: Nam de hominis ratione est, vt constet ex animâ & corpore vnitis, per modum materiæ & formæ. Deinde sequitur illum non potuisse concipi, mori, resurgere: Nam cõceptio hominis fit per vniõnem animæ cum corpore, & mors per separationem animæ à corpore, Resurrectio per reunitiõnem animæ cum corpore. Nam à Verbo, nec anima nec corpus vniquâ relictum fuit: quare mors non potest intelligi per separationem animæ à Verbo, nec resurrectio per coniunctionem anime cum Verbo, sed cum carne dumtaxat.

Magister refellitur.

Alioquin Christus non fuisset verus homo.

Dices; ex animâ & carne inter se vnitis, constituitur persona humana: ergo si in Christo fuit hæc vnio, etiã fuit in ipso persona humana distincta à Verbo.

56

Respondeo, ex animâ & corpore vnitis, per se primò tantum resultat humana natura; persona autem tantummodò secundariò, & ex consequenti, si nimirum illa natura sibi relinquatur: atqui in Christo non relinquatur sibi, sed ita Verbo adstringitur, vt eius propria personalitas præueniatur à personalitate Verbi; ita vt ex naturâ humanâ & personalitate Verbi, existat humana persona, non distincta à Verbo.

Quomodo ex anima & corpore vnitis constituitur persona humana.

ARTICVLVS VI.

Virum humana natura fuerit vnita Verbo accidentaliter?

Respondetur; humana natura non accidentaliter, sed substantialiter Verbo vnita est. Est fidei, definita in Synodo 111. Generali, can. 2. *Si quis non consuetur carni secundum substantiam, vnitum Dei Patris Verbum, anathema sit.* Can. 13. *Dicimus quòd Verbum carnem animatam animâ rationali, sibi copularit; & substantialiter, & ineffabiliter, & incomprehensibiliter factus sit homo.* Et in epistolâ Synodicâ Concilij Alexandrini ad Nestorium, fauissimè dicitur *Deum carni vnitum iuxta substantiam, & hypostasiõs.* Et luculentissimè in V. Synodo act. 4. can. 4. & 5. Vbi, non solum definitur Verbum vnitum carni substantialiter & secundum substantiam; sed etiam excluduntur omnes modi vniõnis accidentalis. Damascenus lib. 3. de fide cap. 3. *Essentialem dicimus vniõnem, non quòd ex duabus naturis vna composita perficiatur; sed quia, due vnite sunt verè in vnâ hypostasi filij Dei.*

57

Sequitur etiã hæc veritas apertè ex dictis art. 2. & 3. Et ratio est Primò, Quia Verbum ita vnitum est humanitati, vt ex his duobus extiterit substantia composita, verè & propriè vna: nam Verbū effectum est substantiale complementum eius.

Vnio Verbi ad humanitatem est substantialis.

C c iij eius.

eius. Quare hæc unio non est dicenda accidentalis, ut vult Durandus, sed substantialis; quia substantiale complementum, non est accidens. Secundò, quia Verbum unitum est humanitati immediatè sine vlllo accidente medio: ergo non accidentaliter, sed substantialiter.

Dices; humana natura est omninò extra rationem Verbi: ergo accidentaliter ei aduenit.

Respondeo Negando consequentiam, præsertim si physicè loquamur: nam anima, & omnis forma substantialis, est extra rationem corporis seu materiæ; & tamen non aduenit ei accidentaliter, sed substantiali unione. Simili modo aduenit alimentum corpori; pars aquæ, alteri aquæ; & similia. Reliqua vide apud D. Thomam.

ARTICVLVS VII.

Utrum unio Diuina & humana natura sit aliquid creatum?

38 **R**espondetur; unio ipsa est aliquid creatum re ipsa existens in creaturâ; in Deo autem tantummodò secundùm considerationem rationis.

Probatum Primò, quia quicquid incipit esse in tempore, est aliquid creatum: atqui hæc unio caput esse in tempore: ergo est aliquid creatum.

Secundò, quia hæc unio est relatio (id est, modus relatiuus) inter naturam diuinam & humanam, ut conueniunt in vnâ personâ Verbi: atqui omnis relatio inter Deum & creaturam, in creaturâ quidem realis est; in Deo verò tantummodò fictione rationis.

Notandum Primò, In Responsione ad 3. *Quid aliquid dicatur creatum, hoc magis respicit esse ipsum, quam rationem.* Sensus videtur esse; si alicuius rei esse caperit in tempore in aliqua naturâ creatâ; id censetur absolute creatum, quamuis in sua ratione includat aliquid increatum: quare unio humanitatis cum personâ diuinâ, est quid creatum; quia hæc unio caput in tempore in naturâ creatâ, ut dicitur in responsione ad secundum, quamuis ratio huius unionis includat personam Verbi.

Notandû Secundò, Unionem tripliciter accipi.

Primò, Pro actione qua aliqua uniantur, quæ potius dicitur unio. Sic generatio hominis, & resuscitatio, est unio animæ cum corpore. Et hæc unio, est communis toti Trinitati, ut docet D. Augustin. in Enchiridio cap. 38. & Fulgentius de fide ad Petrum cap. 9. Conc. Toletan. sextum, & Vrdecimum, utrobique c. 1. Ratio est, quia est operatio tendens in creaturâ, siue est operatio ad extra: atqui omnis talis actio est communis toti Trinitati: ergo &c. Sola tamen persona Filij terminat humanam naturam; quia esse terminum, nullam propriè causalitatem insinuat.

Secundò, Sumitur, pro unione passiuâ, quæ per illam actionem fit, à qua res dicuntur vnita.

Tertiò, Pro relatione resultantè inter res iam vnitas.

D V B I V M. I.

Utrum præterquam, quod per hanc actionem unitiuam tribuatur humana nature subst-

sentia Verbi, & præter relationem resultantem inter illa; producatur etiam aliquid creatum in humanitate, quo ipsa formaliter sit vnita Verbo?

Sunt tres sententiæ hac de re, quas recenset Gabriel in 3. dist. 1. quaest. 1. art. 1. 60
Tres sententiæ.

Prima est, per actionem unitiuam nihil produci creatum in humanâ naturâ, quo ipsa formaliter Verbo vnitur; sed solum produci hoc suppositum humanum, constans ex creato & increato; scilicet ex naturâ humanâ & Verbo. Ita Greg. Arimin. in 1. dist. 28. quaest. 2. ad 17. & 18. hanc fusè refutat Gabriel; & bene. 1. Ariminenfis.

Secunda est, produci in humanitate quandam qualitatem supernaturalem, quâ formaliter Verbo vnitur. Sicut enim est quedam qualitas, scilicet gratia, vel caritas, qua tota Trinitas incipit animè vniri; ita etiam esse aliam quandam qualitatem, quâ humana natura immediatè vnitur personæ Verbi. Ita Gabriel loco citato, & fusius in 1. dist. 30. quaest. 4. 2. Gabrielis.

Tertia est, solum quandam relationem produci in humanitate; à qua dicitur vnita Verbo. Ita Scotus dist. 1. quaest. 1. & Durand. dist. 5. quaest. 2. in 3. sent. & D. Thomas hoc loco, & infra quaest. 16. art. 1. ad 4. Quæ sententia, si intelligatur de relatione propriè dictâ & prædicamentali, omninò falsa est, ne dicam erronea. Si verò intelligatur de modo quodam relatiuo transcendentali, sicut auctores illi indubie intelligunt, ut patet ex Durando & Gabriele, & ex fundamentis Scoti; sic est vera, & pro eâ 3. Scoti.

Dico Primò, Per hanc actionem unitiuam, productum est in humanitate Christi aliquid creatum, ab illâ aliquo modo distinctum; quo in illâ permanente, necessariò illa manet hypostaticè vnita Verbo. Est communior sententiâ DD. Durandi, Scoti, Guilielmi Occami, Bonauenturæ in 3. dist. 1. vel 5. D. Thomæ hic. 61
Unio est aliquid creatum ab humanitate distinctum.

Probatum Primò, Quia impossibile est, ut duo quæ secundùm se non sunt vnita, incipiant esse vnita, nisi fiat aliqua mutatio in altero eorum, idque per aliquam actionem positiuam: atqui actio positiuam necessariò facit aliquid positiuum in re.

Confirmatur, Quia etiamsi humanitas consideretur abstracta à propriâ personalitate, nõ ideò necessariò intelligitur vnita Verbo: ergo debet interuenire actio positiuam, per se primò tendens ad hanc unionem; & consequenter aliquid positiuum in humanitate relinquit. Obiectio Ariminenfis.

Respondet Gregorius Arimin. allatâ instantiâ. Primò, Quia albedo potest incipere inharere, & desinere inharere subiecto, sine vllâ mutatione factâ in altero eorum. Secundò, Lumen candele potest incipere dependere à solo Deo, sine vllâ mutatione luminis. Denique, potest quis incipere esse gratus Deo, qui ante non erat, sine vllâ sui mutatione.

Respondeo; Primum exemplum non esse verum. Nam quando albedo incipit inharere, & ipsa, & subiectum mutatur: ipsa enim suum modum naturale acquirit; quem pari modo perdit quando desinit inharere, etiamsi ipsa salua maneat. Similiter secundùm falsum est, quia lumen in casu accipiet nouam dependentiam, ac proinde nouum essendi modum. Tertium exemplum, non est ad Refellitur.

59
Unio tri-
pliciter
accipitur.